

HUGONIS DE S. VICTORE

OPERUM PARS QUARTA. — EPISTOLÆ

EPISTOLA PRIMA.

AD RANULPHUM DE MAURIACO.

Quod charitas nunquam excidit.

Dilecto fratri R. HUGO peccator.

Charitas nunquam excidit (I Cor. XIII). Audieram hoc et sciebam quod verum erat. Nunc autem, frater charissime, experimentum accessit, et scio plane quod charitas nunquam excidit. Peregre profectus eram, et veni ad vos in terram alienam; et quasi aliena non erat, quoniam inveni amicos ibi: sed nescio an prius fecerim, an factus sim. Tamen inveni illic charitatem, et dilexi eam; et non potui fastidire, quia dulcis mihi erat; et implevi sacculum cordis mei, et dolui quod augustus inventus est, et non valuit capere totam: tamen implevi quantum potui. Totum implevi quod habui, sed totum capere non valui quod inveni. Accepi ergo quantum capere potui, et onustus pretio pretioso pondus non sensi, quoniam sublevabat me sarcina mea. Nunc autem longo itinere confecto, adhuc sacculum meum plenum reperio, et non excidit quidquam ex eo, quoniam *charitas nunquam excidit*. Illic ergo, frater charissime, inter cætera memoria tui primum inventa est, et signavi ex ea litteras istas, cupiens te sanum esse et salvum in Domino. Tu ergo vicem repende dilectionis, et ora pro me. Dominus Jesus Christus tecum sit. Amen.

EPISTOLA II.

AD EUMDEM.

De solutione quatuor quæstionum per Ranulphum de Mauriaco propositarum.

HUGO RANULPHO DE MAURIACO.

Fervor charitatis tuæ pondus quæstionum nobis invexit. Postulas primum expositionem tibi fieri in illud opus quod Cœna Cypriani dicitur: quod quia nunc præ manibus non erat, convenientem apud te excusationem accipimus.

QUÆST. 1. Deinde quæris quid sibi velit illa altercatio Michaëlis cum diabolo pro corpore Moysi, quæ in Epistola apostoli Judæ commemoratur. Hic tibi hoc sufficere putamus quod patres nostri qui ante nos verbum Dei ministraverunt, per corpus Moysi populum Judaicum intelligendum putaverunt, cujus et ipse caput extiterat. Per Michaëlem vero divinam potentiam cum diabolo, id est cum adversaria virtute, quasi concertantem pro populo

A eodem, ut salvus fieret; neque alia maledictione adversarii virtutem repulsam, nisi quia Dominus qui elegit Hierusalem, ab his potestatem inimici repulit, quos de populo illo per solam gratiam ad salutem elegit.

QUÆST. 2. Quæris rursum quos intelligi oporteat libros illos, et utrumne adhuc supersint, quorum in libro Numerorum et Jesu Nave mentio fit, sed et in Malachim et Paralipomenon, cum dicitur: *Nonne hoc scriptum est in libro Justorum et libro Bellorum Domini*; et item: *in libro Gad videntis, et Addo, sive Semeiæ, aut Haiæ Silonitis*. Nos itaque et in hoc sensum doctorum sequentes, librum Justorum et librum Bellorum Domini non alios, sed hos ipsos libros in quibus hæc scripta sunt intelligimus, more Scripturarum narrationem suam commendantium, quando ad confirmationem suam, suo quasi alieno testimonio adducto, auctoritas congeminari videtur. Liber autem Gad et Addo et Semeiæ et Haiæ libros fuisse proprios ab ipsis qui prænominati sunt auctoribus editos, sed per translationis seriem ad nos nequaquam pervenisse. Utrum autem adhuc apud Hebræos habeantur, incertum, quamvis verisimilius post incensam legem a Chaldæis hos quoque sublato e medio nec superesse modo probabilius existimetur. Pro eo autem quod in Malachim et Paralipomenon dicitur: *Nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum sive Verborum dierum regum Juda aut Israel (III Reg. xv)*, quamvis hic in quæstione tua propositum non sit, si quid supererogavero, tu cum redieris, si reddere non placet, ne tamen succenseas: fieri etenim potest ut sint qui et hoc ignorent, quibus si tecum consulitur, displicere non debet. Librum igitur Verborum dierum regum Juda, et item librum Verborum regum Israel, singulos libros intelligendos arbitramur, in quibus gesta regum, scilicet Juda et Israel, non uno aliquo auctore descripta, sed diversis temporibus et diversis auctoribus, prout videlicet ea evenire contingebat, adnotata fuerunt. De quibus ea quæ magis digna memoria videbantur, per subsequentes auctores excerpta et stylo elimatiore formata in hos libros, Malachim scilicet et Paralipomenon, compendiosa narratione expressa sunt. Illi ergo sunt libri ad quos mittunt Malachim et Paralipomenon, reliqua cognoscere volentes. Hos autem nec per translationem

ad nos venisse, nec apud Hebræos modo exstare **A** putamus.

QUÆST. 3. Quæris item quomodo accipiendum sit id quod dicit Salvator : Quod *omnis qui reliquerit uxorem, etc., propter me, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth. xix*), cum ipse alibi dicat (*Matth. v*), uxorem excepta causa fornicationis, recte dimitti non posse, neque a viro discedere debere. Ubi convenienter intelligitur quod id etiam quod homo propter se convenienter facere non potest, aliquando propter Deum recte facere potest. Tunc autem recte propter Deum facit, cum secundum Deum facit. Propter Deum igitur uxorem relinquere, est vel per continentiam propter Deum abstinere ne accipiat ; aut cum reatus illius exigit, vel assensus permittit, **B** concupiscentia non teneri ne discedat. Recte igitur relinquit propter Deum, qui relinquere potest secundum Deum. Quandiu autem secundum Deum relinquere non potest, propter Deum relinquere non potest. Cum autem causa Dei exigit, non solum relinqui sed recte etiam odio haberi potest, ut in eo propter Deum odiatur, quod contra Deum non diligitur.

QUÆST. 4. Quæris etiam quid sibi velit hoc dictum Apostoli in illa Epistola quæ scribitur ad Hebræos : *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cælestis et participes sunt facti Spiritus sancti, et prolapsi sunt, renovari rursus ad pœnitentiam* (*Hebr. vi*). Quod idcirco gravius auditu est, quia pœnitentiæ remedium tollere, et peccatoribus desperationem inducere videtur. Propterea non convenit verbum Dei ita interpretari, ut in eo aliquid veritati contrarium sentiamus. Quod igitur dicit, semel illuminatos et cælestis doni participes effectos, post lapsum, ad pœnitentiam renovari non posse, vel sic accipimus, quia homo per se quidem peccare potest, sed per se sine adiutorio divinæ gratiæ corrigi non potest, sicut scriptum est : *Spiritus vadens et non rediens* (*Psal. lxxvii*). Vel sic : quod, post lapsum, homo renovari non potest, ut scilicet hoc sit quod fuisset si non peccasset. Verbi gratia, si virgo est et corrumpitur, pœnitere potest, sed iterum virgo esse non potest. Et si pœnitendo forte facit ut melior sit quam fuit cum cecidit, non tamen facere potest ut talis sit qualis fuisset si non peccasset, et tamen hæc bona quæ nunc facit fecisset ; secundum quod aliquo modo irrecuperabile præteritæ culpæ damnum constat, cum præsentibus lucris justitiæ hoc semper deesse cernitur, quod in culpa præterita amissum comprobatur : quod utique si adesset, plus esset. Potest et aliter convenienter intelligi hæc impossibilitas. Peccator enim semel morte Christi redemptus, et a peccati vetustate liberatus, si denuo lapsus fuerit, secundum id iterum renovari non potest, quod Christi mortem aliam ad renovationem habere non potest, quamvis eandem possit [*an possit?*] et eadem denuo renovari possit. Terretur autem probabiliter peccator, ut scilicet quia Christus cujus morte redemptus est, iterum

mori non potest, sic caveat peccatum iterare, sicut impossibile videt mortem Christi iterari pro peccato, sicut scriptum est (*Hebr. x*), post acceptam veniam voluntarie peccantibus, hostiam pro peccato non relinqui, id est, vel hanc ad excusationem vel aliam ad remissionem. Voluntaria enim peccata intelligenda non sunt, de quibus dicitur : *Jam nihil damnationis est his qui sunt in Christo Jesu* (*Rom. viii*). Nam voluntarie peccantibus etiam in Christo positis hæc hostia ad excusationem damnationis non relinquitur, sicut pœnitentibus etiam de voluntariis peccatis ad remissionem condonatur. Sic itaque post acceptam gratiam lapsi iterum renovari non possunt et tamen renovari possunt, quia iterari non potest, quo renovantur, ut aliud sit ; sed ab his qui renovandi sunt denuo recuperari potest ; ut eo recuperato amisisse damnabile non sit.

EPISTOLA III.

AD JOANNEM HISPALENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Quod non solum corde tenenda, sed et ore confitenda sit fides Christiana.

JOANNI Hispalensium archiepiscopo, HUGO servus crucis Christi.

Quid, frater charissime, quid dicam tibi ? Si cœperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies. Vir ille fortis erat et magnus, et omnium contemptor tormentorum, et nemo illi loquebatur verbum, quia videbant dolorem ejus esse vehementem (*Job. ii*). Quomodo igitur nos tibi loqui poterimus in tanti doloris vehementia ? Si tamen doles quantum tibi dolendum est [*al.*, tu dolendus es] ? quid tibi faciemus ? Tenebimus conceptum sermonem, quem cor nostrum et anima nostra, non (quomodo in illis) impatientia loquendi, sed vehementia dolendi parturire jam cœpit. Ergo tacere poterit charitas, ut non erumpat et clamet in doloribus suis, et in angustia tribulationis suæ. Jam enim gladius pervenit usque ad animam, et venit mors fraudulenta carni parcens, ut spiritum exstinguat. Nosti, frater, quid velim ? De anima tua causa agitur. Vide quid facias. Christus tibi opponit mortem suam, Christianus redemptionem suam. Quærit ille emptum, iste redemptum. Ille se pretium pro te incassum dedisse conqueritur ; iste pretio redemptum perditum lamentatur. Sed dicis : Ego conscientiam meam novi. Nemo me terreat : Christianum non facit lingua, sed conscientia. Ego Christum diligo : sufficit mihi. Non amplius ille quærit. Quod potissimum meum est, illi dedi. Cor habet, illud possideat. Dicam homini quodlibet. Ipse Dominus novit quod invitus nego. Lingua homo dicit, non conscientia. Ore quidem nego, sed corde confiteor. Audi, frater. Scriptura dicit : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom. xvi*). Quomodo ergo salutem habere putas, si confessionem non habes ? Christum negas et dicis te Spiritum sanctum habere ? Quid est ergo quod ait Apostolus : *Nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu ?* (*I Cor. xii*.) Si dicis anathema Jesu, Spiritum Christi quomodo habes

Si vero non habes Spiritum Christi, non es Christi. *Qui non habet*, inquit Scriptura, *Spiritum Christi, hic non est ejus* (Rom. viii). Audi iterum: *Qui*, inquit, *me erubuit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua* (Luc. ix). Sed dicis bene: Qui pro erubescencia Christum negat, juste damnatur, juste a Christo non cognoscitur. Parum enim est hoc verecundiam Christo anteferre. Ego plus habeo quod in excusatione prætendam. Non enim erubesco, sed timeo. Majus est quod me terret. Ipse novit quia pati non valeo. Parcit ergo infirmitati, condescendit devotioni. Non attendit ad vocem, sed ad charitatem respicit. *Nemo carnem suam odio habuit* (Ephes. v). Timeo pro carne mea, quam odire non possum. O fallax deceptio! Ergo carnem amabis, et Creatorem blasphemabis? Quid ergo sibi vult quod ait: *Qui amat animam suam plus quam me non est me dignus* (Luc. xiv). Si animam recte plus amare non potes, carnem potes? Sed dicis: Non plus carnem diligo: plus enim diligo Deum nostrum quam carnem meam. Videamus modo. Quod plus diligis, hoc potius eligis. Dicit Deus tuus: *Noli timere eos qui corpus occidunt, animæ autem non habent quid faciant* (Matth. x). Hoc ergo Deus dicit, hoc caro contradicit; vide modo. Quod plus diligis, hoc potius eligis. O qualis pastor! Quomodo tu animam poneris pro ovibus tuis (Joan. x), qui nec pro anima tua animam tuam ponis? Tu pro anima tua dare non vis carnem tuam, et pro ovibus tuis dares animam tuam? O qualis pastor? Non sic fecit bonus ille Pastor, qui animam suam posuit pro ovibus suis, et pro grege suo mori dignatus est. Quid tibi videtur? Si sic ille ut tu mortem timisset, quæ, putas, ovis adhuc a morte liberata fuisset? Putavit ille bonum pastorem eligere ovibus suis, qui, veniente lupo, non effugeret, neque sub trepidationis latebrâ sese ovium periculo posthabito occultavit. Venit lupo, oves rapere non potuit; pastorem non solum rapuit, sed abstraxit. Mira res! Ovis audet, et pastor trepidat. O qualis pastor! Si talis futurus fuisti, quare curam ovium suscepisti? Si accepisti dignitatem, quare non impendis bonitatem: *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis* (ibid.). Sed dicis: Petrus ore negavit; tamen, quia corde non negavit, respexit illum Dominus, et vocatus est nomine suo ad resurrectionis gaudium cum aliis apostolis. Hoc, ut audio, maximum est quod ad excusationem tui prætendis. Respexit ergo Dominus Petrum negantem. Quare? ut faceret confitentem: prius flentem, postea confitentem. Respexit ad compunctionem, vocavit ad confessionem. Si ergo tu respectum Christi habes, ubi sunt lacrymæ? Si autem lacrymaris, quare non confiteris? Si sequeris Petrum negantem, cur non imitaris confitentem. Postremo, frater, si Christianus es, ubi est signum regis tui? Ego alienum characterem video in fronte tua. Scis quid futurum sit super illis qui characterem bestiae portant? Servi Dei nostri signati sunt in frontibus suis, et non possunt ex-

terminii sententiam evadere, nisi solum ii qui in figura Tau crucis Christi signaculo muniuntur. Crux in pectore, fides in corde; crux in fronte, confessio in ore: utrumque debetur, utrumque exigitur. Totum Christus vindicat sibi. Cor ad fidem sui, os ad confessionem sui. Sed astat tortor, gladius exertus minatur. Audi: *Qui amat animam suam, perdet eam; et qui perdiderit animam suam in hoc mundo propter me, in vitam æternam custodiet eam* (Marc. viii). Qui perdit propter me, recipiet a me. Ego commendatum servabo, ut melius restituam. Nihil trepides. *Capillus de capite tuo non peribit* (Luc. xxi). Quid sollicitaris de anima, qui de capillo etiam securitatem accepisti? Sed fortassis dices mihi, quod multi hodie intra sinum Ecclesiæ in fide et confessione Christi vivunt, qui, si sic interrogarentur, nullatenus Christum confiterentur. Ad quod ego tibi voce prophetica respondeo, quod *judicia Domini abyssus multa* (Psal. xxxv). Non possumus, nos, scrutari profundum judiciorum Dei, et investigabiles vias ejus penetrare. *Miserebor*, inquit, *cui misertus fuero; et misericordiam præstabo, cui misericors fuero* (Rom. ix; Exod. xxxiii; Rom. ix). Si ergo in oculis ejus placitum fuerit, ut quibusdam parvulis suis, quos mater Ecclesia aut conceptos portat, aut nutrit editos, parcat, et ad istos graviores tentationum interrogationes venire non permittat, tu quis es qui ei dicas: *Cur ita facis* (Job. ix). Non tuam decet excellentiam, ut te in numero talium existimandum intelligas. Inter magnos servos non quasi parvulos, sed custos et provisor parvulorum locum acceperas. Tibi itaque, quasi magno et forti, et ad primam vel proximam consecutionem idoneo, dixit Jesus: *Sequere me* (Joan. xi). Te igitur proximum post ipsum locum adeptum, ut eum sequaris, admonuit, quatenus tu postea sequacibus tuis, quibus ad vitam ducatum præbere debueras, fiducialiter dicere posses: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (I Cor. xi). Si ergo Dominus te, tanquam servum magnum et fidelem, ad gloriam suæ imitationis vocare voluit, vide quale sit hoc, ut tu ad pusillos ejus qui interim fovendi sunt, non premendi, respiciens, dicas: *Domine, hi autem quid?* (Joan. xxi). Dixit hoc ille, quem tu imitari putas, cum tamen per omnia non debeas, non intelligens, dignitatem vocationis illius, neque recte intuens pietatem dispensationis divinæ. Et idcirco justæ increpationis sententiam audivit, ut auscultare disceret, non judicare. Sic, inquit, *eum volo manere, donec veniam. Quid ad te? Tu me sequere* (ibid.) Hoc est ergo, frater, verbum quod intentissime et diligentissime audire debes, ut Regem tuum sequaris et consequaris. Sequaris ad pœnam, consequaris ad gloriam. Si patiendum est pro Christo, excusationem non habes. *Non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam; quæ revelabitur in nobis* (Rom. viii). Si autem et sine passione negas, non solum dico, non excusaris, sed amplius dico quod accusaris. Miser, ubi est anima tua, ut non recogni-

tes qualis factus sis ? qualem gloriam perdidisti, et ad quantam miseriam et confusionem corruisti ? Aspice temetipsum, qualis es : ubi est corona tua et gloria ? Dereliquisti Regem tuum : unaquæque gens deos suos sequitur : *Et certe ipsi non sunt dii (Jer. 11)*. Tu Dominum et Deum tuum reliquisti, et factus es vilis, opprobrium pessimo-

rum. O qualis pastor Christianorum ! Quomodo tu pasces oves Christi, qui te ipsum perdidisti ? Lupo futuro oves pascendæ datæ sunt. O qualis pastor ! Erubescere, miser, et confundere ! Christianorum oculi in te sunt. De longe videris. Non potes latere. Error tuus te notum fecit. Non potes evadere confusionem, nisi ostendas confessionem.

AD OPERA HUGONIS APPENDIX DUPLEX.

I.

AD OPERA DOGMATICA.

HUGONIS DE FOLLETO

UT VIDETUR

DE CLAUSTRO ANIMÆ

LIBRI QUATUOR.

LIBER PRIMUS.

PROLOGUS.

Rogasti nos, frater amantissime, quatenus aliqua remedia tentationum, videlicet spiritualis delectationis fercula, fratribus vobiscum commorantibus quærerem ac propinarem. Quæsi, frater, et inveni. In solitudinem etenim Veteris Testamenti pauculas radices salutiferas reperi. Ex terra vero Evangelii bene culta, quosdam fructus boni saporis attuli. Ex libris autem expositorum et aliorum quorundam sapientum, quasi ex agriculturalium hortis, quosdam flores collegi, ut in unum congesta locum, suavem reddant odorem. Ex radicibus itaque, id est ex sententiis Veteris Testamenti, aliquod remedium sanitatis infirmi ruminando possunt percipere. Fortiores vero ex fru-

PATROL. CLXXVI.

ctibus Evangelii tanquam ex opere bono reficiantur. Delicati autem diversis expositionum floribus meditando delectentur. Sic Paulus apostolus, apud Miletam insulam egressus de mari, *collegit multitudinem sarmentorum*, ut sociis qui secum de maris periculo evaserant, ignem propter frigus accenderet (*Act. xxviii*). Unde Beda super Actus apostolorum : « Sarmenta, inquit, sunt dicta quælibet exhortationum, quæ ad accendendam charitatem valentia, integritate decerpta Scripturarum, quasi frondibus, sunt excisa ramorum. » Moraliter igitur mare, mundum, navis hujus sæculi vitam, naufragium vitæ periculum, egressio de mari renuntiationem mundi, insula quæ mari supereminet portum rectæ con-

33